

Georg Radow

Rector Universitatis Rostochiensis Georgius Radovius, I.U.D. ac Professor, Ad Exequias Quas ... B. Elisabethae Willebrandiae, Uxori suae desideratissimae, Vir ... Dn. Godofredus Martini, I.U.D: ac Practicus Eximius Maritus moestissimus, hodie ... paratum solenniter ibit, Cives suos Academicos ... invitat

Rostochii: Kilius, 1670

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777132877>

Druck Freier  Zugang



RECTOR N. 61
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

GEORGIUS R. A.
DOVIUS, J. V. D.

ac Professor,

Ad Exequias

Quas

FEMINARUM Nobilissimæ elegantissimæ

B. ELISABETÆ
WILLEBRANDIÆ.

Uxori suæ desideratissimæ,

V I R

Amplissimus & Consultissimus

DN. GODOFREDUS MARTINI,

J. U. D. ac Practicus Eximius

MARITUS mcestissimus,

hodiè Hora I. in Templo JACOBEO

paratum solenniter ibit,

CIVES suos ACADEMICOS studiosè

benivolèq; invitat.


ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr. Anno 1670.

N. XXXXX

F. LB FP Willebrand, Elisabetha 1670





INter veteres Philosophos SIMONIDEM quoq; fuisse novimus, festivi utiq; ingenii, summaq; virum sapientia. Hic ipse cum plura alia praclare suavit constituitq;, tum haec maxime duo per-monuit-prudenter; ne rerum scilicet futurarum sumeret sibi quis festinatus iudicium; sed neq; pronunciatet de homine, quamdiu idem ille foret supervicturus. Utrumq; uti diximus, rectissime, Philosophoq; dignissime. Sane enim in futura penetrare sese nemo mortaliu satis commodè potest; Imò ne quidem potest omnino. Non nisi virtus haec ejus est, qui naturam condidit, qui pervigiles habet oculos, cui vel antè, quam haec tempora fierent, omnia, quae tandem facta sunt, fuere praesentissima; quiq; adeò aequè curatè jam nunc novit quae post ventura sunt, quam quae vel hodiè contingunt, velevenere jam dudum. Sed neq; porro de humanis mortibus ferre temerè licebit sententiam, nisi huic soli, qui & has infert pro lubitu, & ipsas etiam dat deditq; vitas. Si nostro heic standum foret arbitrio, vel sacramento identidem contenderemus, permanfurum diu, aut in annos perduraturum, quem vel hoc ipso tamen momento

Mors inopina rapit, quem funere mergit acerbo.

Rectè igitur suspendere hoc jubet loco iudicium SIMONIDES, sistitq; inter alia, quae fragilitatem humanam doceant, muscarum exemplum, caussatus, quemadmodum saepiusculè subsidant quidem illae, ceu fixurae sedem, sed moveant sese rursus celeriter, atq; avolent; sic repentinas quoq; esse vices mortalium, leviq; omnino casu, citiusq; quam unquam opineris, permutari. Hinc utiq; sequitur, impendiò fallaces eorum spes esse omnium, qui nimium annis confidant, & quo abs senectute distent longius, eò abs morte quoq; remotiores sese esse arbitrentur.

bitentur. Quam vero juvenior ætatis pars hinc tantum ob-
noxia sit, nec vel ipsa potius nativitas nostra conjuncta esse cum
obitu queat. Trochorum quæ sit, aut etiam turbinum indo-
les, latere neminem, aut fugere potest. Sane neq; istos neq; il-
los (sic pergit in hoc negotio fari, aut potius philosophari SI-
MONIDES) verti velocius videas, quàm hominum vitam;
quæ instar vitri, cum maximè splendet, frangi suevit, & tum
præcipuè, quàm res fuerit nauci nihilique, ostendere. Ubi mi-
rari subir, licet ita sese habeant maximè omnia, plerumq; ta-
men sic abs nobis vivi, hasq; potissimum capi cogitationes, qua-
si duraturi in longum, imò vix morituri unquam simus; cum
vel ex Gentilis SIMONIDIS præcepto (pudeat Christianos
non suapte sponte heic sapere, sed isthoc peregrino formandi
genere indigere) vix sibi certò polliceri quis saltem crastinum
possit diem. Non longè abeundum est. ELISABETA WIL-
LEBRANDIA, quàm infirmis res mortalium fulciantur tibi-
nibus, loculentissimo fuerit documento. Quæ si, tot rebus
præclaris licet, eximiisq; ornata, tot instructa virtutibus, tot,
vulgare nihil aut protritum sapientibus, aucta dotibus, averte-
re mortem ac declinare minimè potuit, sed subire iusta tum fu-
it, quàm maximè stare ac florere videretur; quid, quæso, vi-
liore fiet turbâ, aut iis, qui præ ipsâ illâ umbrarum instar voli-
tant, atq; in nullam propè veniunt comparisonem? Non
ineptè sanè trahi hinc LUCRETIUS possit, facundiâ ingenio-
que excellens Auctor, qui nec inscitè, nec ineleganter *Mori-
nesciam* Mortem appellitare suevit, atq; ita colligere: Si à pri-
mis quasi Mundi incunabulis mori consuêrint homines, cer-
tumq; sit, nullos etiam deinceps fore, qui nunquam vitâ, aut
Seculo (quæ *Tertulliani* loquendi est ratio) egrediantur, deli-
rum omninò futurum, qui existimare sustineat, desituram ali-
quandò aut morituram mortem. Ceterum ipsa mortis adeun-
dæ tandem necessitas non videri poterat adeò persuasiva futura
diffici-

difficilis. Nec in eam magnoperè recitare rem attinebat, quic-
quid vel LUCRETIUS scriberet, vel SIMONIDES commen-
taretur. Illa altera asseveratio, quæ mortem & senectuti, &
florentissimæ ætati communem facit, quàm videri quiret non
æquè facilem pronamq; inventura fidem, factitatum est, uti
SIMONIDEA dissertatio isti præcipè firmandæ operaretur.
Quam ipsam, uti supra innuebamus, ELISABETÆ NOSTRÆ
hodiernum sub triste ac lamentabile exemplum sivè juerit exi-
miè, sivè eximiè etiam illustrârit. Hinc ex communi dicterio
conjectes licet inferasq;: *Accidere cuiusvis posse, quod accidat cuius
quam.* Ceterum nobis isti quidem negotiè prolixius immora-
ri minimè sedet; Sedebit potius, quæ in hujuscemodi fune-
rum indictionibus commemorari ac recenseri siveverunt, non
illo quidem accurato, ac quod demorsos unguës sapiat (uti par-
certè foret) sed extemporaneo tenuiq; dicendi genere jam por-
rò exponere. Nata itaq; FUNCTA est NOSTRA Patre VI-
RO Nobiliss. & Excellentiss. DN. ALBERTO WILLEBRAN-
DO, J. U. D. ac Codicis Profess. celeberrimo, Collegâ & Ami-
co nostro honoratissimo; Matreq; , lectissimâ quondam, &
virtutibus sexum suum decorantibus eminentissimâ ELISA-
BETA COTHMANNIA. Avum paternum habuit Virum
Ampliss. & Excellentiss. DN. NICOLAUM WILLEBRAN-
DUM, Phil. & J. U. D. Profess. hujus Universitatis & Practi-
cum inclutum. Aviam paternam Matronam spectatissimam,
pariterq; sexus sui virtutibus maximè illustrem, CATHARI-
NAM Heinsß / Magnifici & Ampliss. VIRI, DN. FRIDERI-
CI Heinsß / Jcti. Sereniss. Mecklenb. Princip. Consilarii, Aca-
demiæ hujus Professoris, ac tandem Cos. Syndiciq; apud nos
præclarissimè meriti, filiam Avus Maternus fuit VIR Ma-
gnificus, Nobiliss. & Ampliss. DN. JOANNES COTHMAN-
NUS, JCrus. celeberrimus, sacri Lateran. Palatii, Aulæq;
Cæsariæ, & imperialis Consistorii Comes; illustriss. Princip.
Meckl.

Meckl. ultra 35. annos *Confiliarius & Cancellarius gravissimus*,
Avia materna extitit *Femina elegantissima*, sed ipso flore ætatis
denata, *MAGDALENA Krüger*; *VIRI* *Spectabilis ac prudentis*.
DN. ULGARICI Krügers; *Cos. apud Güstrovienses fide ac In-*
dustrîâ conspicui, filia. Proavo paterno usa est VIRO Reverendo
DN. PETRO WILLEBRANDO, *pastore Gorloviensi*, per
plures annos, *fidelissimo*; qui primus *Formulæ Concordiæ*
Augustanæ Confessionis, unâ cum aliis, *subscripsit*: *Proaviâ*
SOPHIA Schulten / *insignis quondam & accuratissimi*, nec
minus *celebris Theologi*, *DN. ALBERTI GRAWERI*, *Ma-*
tertera. Proavum maternum habuit VIRUM Amplissimum,
DN. THEODORICUM COTHMANNUM, *Reip. Lemgovi-*
ensis Spectatæ virtutis ac integritatis Cos. omnibus Bonis com-
mendatissimum; *cujus Majores patriciâ & consulari dignitate à*
trecentis annis florentes ac conspicui fuere. Proaviam mater-
nam, AGNETAM von der Lippen / *Matronam planè eximi-*
am, DN. BERNHARDI von der Lippen / *Comitis à LIPPA*
Cancellarii præcellentissimi Filiam &c. His nata Parentibus
Majoribusq; NOSTRA, *moxq; per sacrum Baptismi fontem*
(ministerium præbente pl. Rev. & Excell. DN. D. LUTKE-
MANNNO) regenita vix carere eâ morum sanctitate, istaq; vir-
tutum excellentiâ potuit, quæ in ipsis antè suscepta proba-
taq; fuerat. Sanè enim & ipsa stirpis originisq; suæ indolem,
referre poma amant: Quin in juvenis quoq; & eqvis plerum-
que parentum notari virtutem, generosaq; in ortus semina ex-
surgere suos videas. Quod etsi fallere non omninò solet nun-
quam, ELISABETHA tamen nostra minimè commisit, uti in
se quoq; sefellisse videretur. Pietatem inter principes semper
virtutes numerabat, vel ipsam potiùs virtutum ceterarû omni-
um habebat principem. Dein quoq; quæ ceteroqui vitæ mo-
rumq; integritati, ac sanctimonîæ credebatur servitura, tam gna-
viter studiosèq; omnia exequebatur, uti nulli puellarum eâ
in re

in re secunda foret. Sed rei quoq; familiaris scientia mirificè animos instructos imbutosq; gerebat. Quo ipso factum est, uti nuptiis apta, & jam potens viri, non anxie nimis de conditione laborare haberet, sed facillè inveniret procum. Nam quamvis oris venustas quoq; & formæ excellentia, quâ mirificè pollebat, plurimum illiciant invitentq;, pulchritudo tamen animi, virtutisq; Majestas impendiò vehementiùs percellit pectus ac commovet, suiq; amore flagrare facit. Itaque 23. admodum annorum (nata 1646. VII. Novembr. fuerat) VIRO Consultissimo & Excellentissimo DN. GODOFREDO MARTINI, J. U. D. ac Practico felicissimo, desponsata, & hujusce jam labentis anni mense Februario solenniter nupta est. Quo cum breve quidem, sed ita tamen vixit, uti omnes bonæ ac frugi uxoris numeros facillè adimpleret. Neq; enim aut majore fide, amore, studio, curâ complecti ulla alia maritum possit, quàm ipsa fecit; sicut & maritus nihil magis studebat, quàm ut tantæ indolis tamq; inusitatarum virtutum conjugii vices redderet, omniq; eandem amoris ac benivolentiæ genere prosequeretur. Sed nec futuræ spes proliis defuit; quandò potiùs uterum gerere NOSTRAM, & justo debitoque tempore eniti sobolem videres. Euectam quidem ipsam ante, quàm ex almâ Matre prodiret, sed perfectam tamen minimèq; invenustam. Ipsa quidem Mater non adeò de salute periclitari initio visa; potiùs non minutam subindè spem vitæ ostendere. At enim mox immutata rerum facies, inspectaq; ante omnes mors est tandem ipsa. Varum maximus, ac Deus quasi quidam, partus labores doloresq; defixo in visceribus telo tam concinnè ac verè comparavit, uti Græcæ Mulieres, referente *Plutarcho*, versus eos non ab *Homero*, sed *Homeride* quadam, quæ pariendo rei fecisset experimentum, scriptos esse dicerent. Alia è numero Gentilium, malle sese, profitebatur, centies cum hoste cernere, quàm semel parere. Ut profectò omnem sequior sexus favorem

favorem benivolentiamq; nostram mereatur, & magna etiam
commiseratione sit dignissimus, quòd per tot tamq; immen-
sos cruciatus conservare speciem humanam satagat, imò per
ipsam sæpenumerò mortem, vitam nobis salutemq; conciliet,
NOSTRA certè uti convalesceret, variè precioseq; adlabora-
tum est. Sed nequicquam: non alio id quidem (vel
jurârim) ex capite, quàm quòd ipse Deus TANTAM seculo
huic maligno VIRTUTEM inviderit, malueritq; sibi hærerè,
grande utiq; Celestium sanctiorumq; mentium consortio or-
namentum futuram. Decessit itaq; sensibus integris, mente
devotissimâ, & in Deum intimè defixâ; plena spei ac fiducia in
CHRISTUM conservatorem suum, cujus corpore ac sanguine
brevi ante in pulico Ecclesiæ conventu pasta, veluti viatico
quodam, isti, quod emetiendum erat, itineri sese quasi præ-
parârat. Vivendo non nisi 24. Annos, & 27. complevit dies;
funereque adeò suo *Simonidis* monita mirificè, uti dictum, sta-
bilivit.

Nos quicquid in honorem FEMINÆ laudemq; subindè ad-
duximus, ita volumus intellectum, ut saltem circa minuti-
as hæserimus: Fuere longè in IPSA majora, quæ sacro visum
silentio venerari, TIMANTISq; velo obnubere, ceu quæ vel
stylo hoc nostro, vel chartarum hac angustia exprimi nequirent.
Et est profectò in MAGNA VIRTUTE jejuna laus vituperio
vicinior, quàm commendationi. Erunt fortassean alii, qui
ampliori encomio ELISABETAM minimè defraudabunt.
Nisi KEIMHAION istud hominis dignius videbitur in ipsos ire An-
nales, quàm ullâ humanâ voce celebrari. Vos lacrimis mœ-
roreque merisi, MARITE, ac PARENS, ferte casum, ac
pro solamine ipsum habete DEUM. Neque enim inter
mortales temere erit, isthoc solandi in vos officio functu-
rus. Adeò grande inflicturn vulnus est, uti cicatricem ob-
ducere nemo, nisi ille possit, qui intulit. Bellè ceteroqui
VESTRA,

VESTRA, & ab omni parte leniter habet, tanta sollicitudine
boribus atque molestiis, quibus nos cotidie, tanquam munimento quodam, circumvallamur. Nos quæ nostrarum partium fuerint minimè negligemus, frequentesq; (si fortè vel ea etiam res facere leniendo dolori possit) in tam primario eximioq; Funere comparebimus. Ut itaque, CIVES ACADEMICI, pro exequendâ isthac fini iusto vos hodiè ampleque numero sistatis, & amanter rogamus, & seriò hortamur. VALETE, ET HUMANITATEM VESTRAM
JUGITER QUISQUE RE-
CORDAMINI.

P. P. sub Sigillo RECTORATUS, dies XIII, Decembr,
ANNO clò lbc LXX.

Convenietur in Æde divo JACOBO
sacrâ, Horâ I, pomerid.



Meckl. ultra 35, annos Conſiliarius & Cancellarius
Avia materna exitit Femina elegantiffima, ſed i-
denata, MAGDALENA Krüger; VIRI ſpectabilis
DN. ULGARICI Krüger; Cos. apud Guſtrovi-
duſtriâ conſpicui, filia. Proavo paterno uſa eſt VII
DN. PETRO WILLEBRANDO, paſtore
plures annos, fideliffimo; qui primus Formu-
Auguſtanæ Coñfeſſionis, unâ cum aliis, ſubſcri-
SOPHIA Schulten / inſignis quondam & accu-
minus celebris Theologi, DN. ALBERTI G
tertera. Proavum maternum habuit VIRUM
DN. THEODORICUM COTHMANNUM, I
enſis ſpectatæ virtutis ac integritatis Coſ. omnib
mendatiſſimum; cujus Majores patriciâ & conſu-
trecentis annis florentes ac conſpicui fuere. Pr
nam, AGNETAM von der Lippen / Matrona
am, DN. BERNHARDI von der Lippen / Co
Cancellarii præcellentiffimi Filiam &c. His n
Majoribusq; NOSTRA, moxq; per ſacrum Ba
(miniſterium præbente pl. Rev. & Excell. D
MANNO) regenita vix carere eâ morum ſancti-
tutum excellentiâ potuit, quæ in ipſis antè co-
taq; fuerat. Sanè enim & ipſa ſtirpis originisq;
referre poma amant: Quin in juvencis quoq; &
que parentum notari virtutem, generoſaq; in o-
ſurgere ſuos videas. Quod etſi fallere non omni-
quam, ELISABETHA tamen noſtra minimè ce-
le quoq; ſefelliſſe videretur. Pietatem inter pr-
virtutes numerabat, vel ipſam potiùs virtutum
um habebat principem. Dein quoq; quæ ceter-
rumq; integritati, ac ſanctimonix credebat ſerv-
viter ſtudioſèq; omnia exeqvebatur, uti null

